Gruona decumbens, cum totius Christianitatis inestimabili mœrore, anno vitæ suæ LII, Regni XXII, Imperij X. Dominicæ Incarnationis CIↃ XXIV est defunctus, & *Bavenberge* translatus, *in Ecclesia BB. Apostolorum Petri & Pauli* honorificè est sepultus, tumulusque ejus tali Epitaphio insignitus:

Henric Augustus virtutum germine justus,
Hæc servat cujus viscera putris humus.
Splendor erat legum, speculum, lux, gemmaq; Regũ;
Ad cœlos abijt, non moriens obijt.
Idibus in ternis vexantem pondera carnis,
Julius æthereo sumpserat imperio.
Abbatissa pia (quod reddat sancta Maria,)
Hildigarda sibi jusserat hoc fieri.

XC. Episcopus autem, obitu ejus audito, per totam civitatem Patherbrunnensem, omnemq; Episcopatum, transitum ejus agi sollenniter mandavit; & pro animæ ejus remedio eleemosynas non minimas tam in alimentis, quam in vestimentis, pauperibus erogavit. Quamvis autem gauderet de patrono præmisso, doluit de solatio amisso; transfixusque doloris nimij gladio, non potuit imperare sibi, quin doleret corde & animo. Et Imperator quidem perceptis laborum suorum præmijs, inter cives cælestis Hierusalem, gaudio æternæ claritatis ineffabiliter tripudiabat: Episcopus autem ut congregata à luporum incursione conservaret, & pro acquirendis alijs operam daret, inter cives Babiloniæ aliquandiu commorari habebat.

XCI. Post obitum igitur Imperatoris soli Saxones in quodam castello quod *Werla* dicitur convenerunt;